

Monachum quemdam, quod et monasticam vitam religiose duxerit, et Missas devotissime celebraverit, lib. XIII. in epist. ad Franciscum Brunum, orat pro anima Pontificis defuncti, lib. XIV. in epist. ad Philippum Cardinalem multa scribit de sacra illa spelunca, in qua sancta Maria Magdalena habitasse dicitur, eamque illo carmine invocat.

Dulcis amica Dei lachrymis inflectere nostris :
Atque humiles attende preces, nostræque salutis
Consule, namque potest.

In lib. II. de vita solitaria cap. 11. Sacra stigmata sancti Patris Francisci, et ordinem ab illo institutum debitis laudibus celebratum. lib. I. de otio Religiosorum monachos sic alloquitur : O felices animæ, o excubitores assidui, intentique ; o sollicita et devota Christi mancipia, proque brevi servitio non libertatem modo perpetuam, sed ingenuitatem, filiationemque promerita, o mercimonium optabile, fausta que rerum alternatio, servire modicum, non ut diu regnes, sed ut semper. Denique, ut alia prætermittam, exstat etiam ipsius Petrarchæ testamentum, in quo multa sunt Catholici animi signa ; sed illud in primis, quod B. Virginem ac Sanctos cæteros magna devotione implorat. Nec solum Latinis, seriisque operibus, sed etiam in Italicis illis versibus, quos tantopere adversarius admiratur, et in libello, quos de vitis Pontificum, et Imperatorum conscripsit, et Summum Pontificem Christi Vicarium vocat, et alia non pauca scribit adversus ea, quæ nostri temporis hæretici docent. De Summo Pontifice ita loquitur :

*E' l' Vicario di Christo con la soma
De le chiavi, e del manto al nido torna :
Si che s'altro accidente nol distorna
Vedrà Bologna, e poi la nobil Roma.*

Item alibi Ludovicum IV imperatorem non alia de causa solum Idolum appellat, et nomen habere dicit sine re ; nisi quia Summi Pontificis auctoritate, et ab Imperio dejectus, et extra communionem fidelium ejectus fuerat.

*Latin zangue gentile
Sgombra da te queste dannose some ;
Non fare Idolo un nome
Vano senza soggetto.*

Alio loco Romanam Urbem domicilium Dei nominat, quia videlicet sedes est Vicarii ejus.

*Le Donne lagrimose, e' l' volgo inerme
De la tenera etate, e i vecchi stanchi ;*

*E' hanno se in otio, e la soverchia vita.
E i neri fraticelli, e i bigi, e i bianchi
Con l'altre schiere travagliate, e inferme,
Gridan : o Signor nostro aita, aita :
E la povera gente sbigottita
Ti scuopre le sue piaghe a mille a mille.
Ch' Annibale, non ch'altri furian pio.
E se ben guardi a la Magion di Dio
Ch' arde oggi tutta, assai poche faville
Spegnendo, sien tranquille
Le voglie che si mostran s'infiammate,
Onde sien l'opre tue nel Ciel lodate.*

Alio loco pie describit peregrinationem ad Urbem Romam, et cultum fidelium erga sacras reliquias atque Imagines, quas vos Calviniani irridere soletis.

*Movesi 'l vecchiar el comuto, e bianco
Del dolce luogo, ove hâ sua età fornita,
E da la famigliuola sbigottita,
Che vede 'l caro padre venir manco :
Indi trahendo poi l'antico fianco
Per l'estreme giornate di sua vita ;
Quanto più può col bon voler s'aita
Rotto da gli anni, e dal camino stanco.
E viene à Roma seguendo il desio
Per mirar la sembianza di colui,
Ch' ancor là sù nel Ciel vedere spera.*

Alio loco Virginem Deiparam magno affectu implorat : et simul damnat amores, et amatoria cantica, quæ juveni sibi exciderant.

*Per te può la mia vita esser gioconda,
S' a' tuoi prieghi, o Maria,
Vergine dolce, e pia,
Ove 'l fallo abondò, la gratia abonda.
Con le ginocchia de la mente inchine.
Prego che sia mia scorta,
E la mia torta via drizzi à bon fine.*

Et infra :

*Mortal bellezza, atti, e parole m'hanno
Tutta ingombrata l'alma ;
Vergine sacra, et alma
Non tardar, ch'io son forse all' ultim' anno.
I di miei piu correnti, che saetta
Fra miserie, e peccati
Sonse' andati : sol morte n'aspetta.*

Et infra :

*Se dal mio stato assai misero e vile
Per le tue man resurgo,
Virgine, è sacro, e purgo
Al tuo nome, e pensieri, e' ngegno, e stile ;
La lingua, e' l' cor, le lagrime, e sospiri
Scorgine al miglior guado ;
E prendi in grado i congiati desiri.*

His adjungam duo illa cantica, ubi deplorat pretiosum tempus in nugis, id est, in amatoriis versibus amissum.

*Tennemi amor anni vent'uno ardendo
Lieto nel foco, e nel duol pien di speme ;
Poiche Madonna, e' l' mio cuor seco insieme*

*Salvo al Ciel, diece altri anni piangendo.
Homai son stanco, e mia vita viprendo
Di tanto erro ; che di virtute il seme
Ha quasi spento ; e le mie parti estreme,
Alto Dio, à te devolamente rendo.
Pentilo, e tristo de miei sì spesi anni,
Che spender si doveano in miglior uso,
In cercar pace, ed in fuggir offanni.
Signor, ch'in questo carcer m'hai rinchiuso
Trammene salvo da gl' eterni danni
Ch'io conosco 'l mio fallo, e non lo scuso.*

*I vò piangendo i miei passati tempi,
I quai posi in amar cosa mortale,
Senza levarmi à volo havendo io l'ale
Per dar forsi di me non bassi esempi.
Tu che vedi i miei mali indegni ed empi,
Rè del Cielo invisibile, immortale,
Soccorri al Palma disviata, e frale,
E' l' suo difetto di tua gratia adempi.
Si che s'io vissi in guerra, ed in tempesta,
Mora in pace, ed in porto ; e se la stanza
Fù vana, almen sia la partita honesta.
E quel poco di viver che m'avanza,
Ed al morir degnie, er tua non presta ;
Tu sai ben, ch'in altrui non hò speranza.*

CAPUT XXI.

Claudam hunc locum cum illis ejusdem Petrarchæ testimoniis, quæ in eo libro Italico continentur, quem scripsit de vita et moribus Pontificum Romanorum. Omitam autem, quæ ille dicit de Pontificibus, qui ante ipsum tempora sederant, quos tamen ut plurimum laudat, ea solum testimonia, quæ ad eos pertinent, quos ipse optime noverat, Joannem videlicet XXII, Benedictum XII, Clementem VI, Innocentium VI et Urbanum V. De Joanne sic loquitur : « Costui fuit optimo, et glorioso Pastore ; fecit multi boni ; et hæretici per zelo della fede condannò ».

De Benedicto : « Fuit nell' adolescenza di buona, ed intera vita, dipoi Maestro in Theologia, et fatto che fuit Papa, riformò l'Ordine di S. Benedetto. Nel dare i Beneficii era duro, havendo grande cura, che non fossero conferiti à chi non gli meritava. Era fervido nella fede, et nelle buone opere zelatore ; et però era ad alcuni non troppo caro. Fuit rigido ed aspro in modo, che fingeva di non riconoscere li parenti, dicendo, che il Papa non hà parenti ».

De Clemente : « Fuit et per nome, et per fatti di molte virtù pieno ». De Innocentio : « Fuit grandemente de' Religiosi a matore. Fuit in ragione canonica eccellente. All'ultimo havendo santamente tradotta la vita, si mo-

ri ». De Urbano : « Fu nelle sacre Scritture dottissimo, et santamente visse ». Hæc sunt Petrarchæ testimonia de Pontificibus Romanis, quorum temporibus ipse vixit ; quæ quidem non ab assentationis studio, sed a veritatis amore profecta non dubitabit, qui cogitabit ea scripta post obitum omnium illorum fuisse, et ab eo qui et liberrime vitia Romanæ Curiae taxare solebat, et qui nihil unquam a Romano Pontifice ambierat, et oblatum etiam Episcopatum constantissime recusavit, ut ex variis ejus Epistolis cognosci potest. Ex tot locis, a nobis adductis, tria quædam colligi possunt. Primum non potuisse Petrarcham, cum Romam, sive Avenionem ob Curiam summi Pontificis Babylonem appellavit, de fide, de religione, de potestate Ecclesiastica, sed de vitiis tantum, quæ tunc vigeant, ea dicere. Neque illi unquam venisse in mentem quod adversarii mentiuntur, ut scriberet Romanum Pontificem Antichristum factum, aut Ecclesiam ipsam Romanam ab antiqua fide degenerasse. Quomodo enim Antichristum esse crederet, quem tot in locis Vicarium Dei nominare non dubitat ? Aut quando Romanam Urbem Antichristi sedem esse diceret, qui eam aliam, sacrosanctam, domicilium Dei locum Deo gratum, arcem Christianæ fidei, sacram tellurem, sacrosanctissimam Sedem appellat, ubi omnis verus Christianus et vivere optet, et mori ? An vero placere illi unquam potuisset nefarium istud bellum in summum Ecclesiæ Catholice Pastorem, et Patrem, ad quod Reges inflammare adversarius noster pro viribus nititur, cum disertis verbis scriptum reliquerit, nullam esse posse homini Christiano in Vicarium Dei sui sufficientem causam offensionis ? Deinde ex iisdem locis intelligemus Pium V Pontificem nullam fecisse Petrarchæ injuriam, quod tria ejus cantica abradi jusserit. Nam si Petrarcha suspicari potuisset, futuros fuisse aliquando homines, qui ejus versibus abuterentur ad fidem Catholicam labefactandam, atque ad eos confirmandos errores, quos ipse toto pectore execrabatur, sine dubio manibus ipse suis versus illos in ignem conjecisset. Quin etiam, si Summus Pontifex, quem ille tam frequenter Vicarium Dei sui nominare solebat, totum illud opus amatoriarum cantiuncularum flammis adjudicaret. Equidem arbitror spiritum ejus in celesti Hierusalem, ut ex ejus poenitentia pie confido, cum Deo conjunctum, ingenti lætitia

perfundendum; et Deo atque ejus Vicario de ea re gratias acturum. Cur enim non gauderet, si cerneret opus illud exuri, cujus ipsum jam antea poenituerat: quod multis causa sempiterni exitii esse posset; ob quod denique vix ipse gehennæ ignem effugisset? Cognoscimus ad extremum ex iisdem illis locis, adversarium nostrum, vel ipso Petrarcha teste. sed potius iudice, iudicem enim adversarius fecit, hæreticum esse; atque adeo extra veram Christi Ecclesiam cum apostatis et fugitivis contra veritatem arma gerere. Siquidem Petrus, ut supra demonstravimus, in ea fide et religione vivebat, quæ Romanam Ecclesiam, ut omnium Ecclesiarum Parentem veneratur: quæ Summum Pontificem Christi Vicarium, totiusque orbis Christiani Patrem et Pastorem agnoscit; quæ Reliquias, atque imagines Christi et sanctorum colit; quæ B. Virginem, et sanctos cæteros invocat; quæ pro defunctis orat; quæ monasticam vitam laudat. Atque hanc solam unicam et veram esse religionem idem Petrus in lib. 1. de remediis utriusque fortunæ apertissime docet. Adversarius autem eorum se socium esse faletur, qui pro Romana Ecclesia Genevensis Synagogam; Pro Summo Pontifice Christi Vicario, Lutherum, aut Calvinum, vicarium Satanae colunt; Orare pro defunctis otiosum, sanctos invocare impium credunt. Sanctorum reliquias, atque imagines tantum abest, ut venerentur, ut etiam illas in flumina, istas in ignem abjiciant. Monasticam vero tanto prosequuntur odio, ut potius lupanaria, quam monasteria tolerare posse videantur. Quare nulla dubitatio remanet, quin, Petrus iudice, inter hostes veræ fidei numerandus sit nobilis ille juvenis, qui ad Petrus, quasi egregii cujusdam prophetæ, in gravissima causa religionis iudicium provocavit.

CAPUT XXII.

Responsio ad ea, quæ ex Joanne Bocacio adferuntur.

Unus restat Bocacius ex ternario illo testium numero omni exceptione majorum, ex quibus vulgo Italorum summum Pontificem Antichristum esse persuadere voluit adversarius. Sed quam ingeniose, et argute Bocacius fabulas texit; tam imperite, atque inepte juvenis noster argumenta concinnat. Producit enim in medium ex Bocacii fabulis

pauca quædam loca, in quibus vitia Clericorum et Monachorum attinguntur. Sed ex iis non sequi, ut propterea falsa religionis, fideique doctrina habenda sit (ut adversarius vellet) ipse idem Bocacius docet. Nam in secunda fabula, quam imprudenter adversarius præter cæteras elegit, ut eam nobis objiceret, scribit quidem Bocacius multa, et gravia esse vitia Romanæ Curia; sed addit hoc ipsum manifestum argumentum esse veritatis fidei, ac religionis, quæ Romæ colitur. Cum enim non solum pagani et hæretici illam oppugnent, sed etiam ipsi, qui eam profitentur, ac docent, moribus perveris destruere, ut ipse qui dem loquitur, atque ad nihilum redigere moliantur, et ea tamen semper vigeat, ac floreat, quis ambigere possit, quin ea sit opus Dei, et non humano consilio, prudentia, viribus, Romanam religionem consistere, sed ejus qui dixit: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam?* In prima quoque fabula jure Bocacius a Catholicis reprehenditur, quod sacramentum Confessionis, atque Extremæ Unctionis, fabulæ fundamentum fecerit. Cæteram in illa ipsa fabula satis ostendit nil sibi commune fuisse cum novatoribus istis, qui præter Baptismum, et Eucharistiam nulla alia sacramenta recipiunt. Siquidem ipse cum honore de sacramento Confessionis, et Unctionis Extremæ, necnon de religioso illo sacerdote, quem ut ministrum Sacramentorum illorum introducit, semper loquitur; et in extrema fabula perditum illum execratur, ac damnat, qui sancto viro Sacerdoti suo imposuit, et ad sacrosancta illa mysteria plane indignus accessit. Neque vero in cæteris fabulis sui dissimilis fuit. Etsi enim passim monachorum, ac sanctimonialium vitia sub occasione fabularum carpat, non tamen inde colligit, quod adversarius facit, monasticam ipsam universam esse damnandam; sed contra potius eos reprehendit, qui sanctimonialiam ac decorem religiosorum male vivendo obscurant. Quorsum igitur, inquit, Pontificum jussu hæ fabulæ ita corriguntur, ut ubique nomina sacerdotum, monachorum, sanctimonialium, aut deleantur, aut in alia commutentur? Causa est in promptu. Nescit enim vulgus, cujus manibus vulgares ejusmodi libri teruntur assidue, vitium a persona, et mores a dignitate secernere. Si sacerdotes ac monachos flagitiorum, ac scelerum argui videat, facile sacerdotium ipsum, ac monachatum

contemnit: neque cogitat, quod paucorum est, non esse omnibus tribuendum; neque ordinis sanctitate personarum vitia inquiri; nec pauci sunt, qui sacerdotum vitia libentius multo quam virtutes imitari velint. Quin etiam licere sibi credunt, quod sacerdotes, sive recte, sive perperam agunt. Quanti autem facienda sit sacerdotum bona existimatio, vel ex uno illo imperatoris Constantini facto, ab omnibus scriptoribus mirifice laudato, colligi potest. Quod ego, quia ad rem nostram non parum facere videtur, Theodoretum verbis referam lib. 1. histor. cap. 11. Erant, inquit, quidam calumniandi studio flagrantibus, qui quosdam episcopos accusabant, et criminationis libellos imperatori offerebant. Ille istis ante concordiam constitutam acceptis, primum cum eos vinculo constrinxisset, annuloque suo obsignasset, servari jus. it. Deinde cum concordiam inter eos conciliasset, libellos in medium adductos, illis ipsis presentibus, igne absumendos curavit; jurejurando adjecto, se ne verbum quidem in illis scriptum perlegisse, nam sacerdotum, inquit, vitia non sunt populo aperienda; ne ille inde causa offendi arripere licenter; peccare aggrediatur. Quin etiam eum hoc quoque adjecisse memorat: Si suis oculis Episcopum alienæ uxori stuprum inferre forte videret, facinus illud nefandum suo paludamento se obtecurum, ne facinoris aspectus eos, qui idem ipsum cernerent, ulla ex parte læderet. Hæc Theodoretus. Sanctus autem Cyprianus longius etiam progressus scribit Christum ipsum, et Apostolos ejus, de sacerdotibus Aaronicis, licet jam sacrilegi, atque impij essent, tamen ob ipsum, quamvis inane nomen, et umbram quamdam sacerdotij, honorifice esse locutos. Quod si vera crimina Sacerdotum populo aperienda non sunt, et verenda Patrum non cum maledicto Cham detegenda, sed potius cum optimis ejus fratribus contegenda, quis ferat eos, qui oblectandi gratia falsa crimina affingunt, aut fabulosis narrationibus in contemptum eos adducunt? Poteram hoc loco multa quoque ex libris Joannis Bocacii adferre, ex quibus intelligeret juvenis noster in causa religionis se cum cæteris Calvinistis ab hoc etiam auctore damnari. Nam et in libro qui inscribitur Corbaccio, et in altero, qui dicitur Filocopo multa Bocacius de invocatione B. Mariæ, de laude virginitatis, de libero arbitrio, de igni purgatorio, de precibus pro defunctis, de

sacrificio Missæ plane catholice scribit. Sed nolui tam multa italica verba huic nostro latino opusculo inserere, neque tam sæpe de rebus iisdem verba facere.

CAPUT XXIII.

Jam vero quoniam adversarius tribus testibus probare conatus est plurima esse vitia Catholicorum, ut videlicet inde colligeret Catholicam Ecclesiam in antichristi regnum esse conversam, non debet moleste ferre, si nos etiam vicissim tribus aliis testibus, quos rejicere nullo modo possit, ei probemus, deteriores esse Lutheranorum mores, quam unquam fuerint Catholicorum. An autem inde efficere velit, Lutheranorum sectas ad regnum Antichristi pertinere, liberum illi permitto, nos enim ejusmodi argumentis non egemus, ut certo certius eorum conventicula Satanae synagogas, et eorum multitudines agmina quædam, Antichristum præcurrentia, esse credamus. Primus testis Lutherus sit, quem adversarius nuncium Dei a Dante prædictum appellare non erubuit. Is enim in Postilla super Evangelium Dominicæ primæ Adventus ita loquitur: «Mundus in dies fit deterior; sunt nunc homines magis vindictæ cupidi, magis avari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti, et indisciplinati, multoque deteriores, quam fuerint in patatu». Hæc ille, qui nihil fere aliud vere scripsit in tot libris suis. Alter testis Jacobus Andreas Smidelinus esse poterit, qui adhuc vivit et primas tenet inter Lutheranos, adeo ut eorum Papa non male a quibusdam nominetur. Is in concione 4. super caput XXI. Lucæ, sic habet: «Ut totus mundus agnoscat eos (Lutheranos videlicet, nam de his loquitur) non esse Papistas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorum operum nullum exercent penitus, jejunii loco commensationibus, et perpotationibus nocte dieque vacant. Ubi pauperibus benigne facere oportebat, eos deglubunt, et excoriant: precationes vertunt in juramenta, blasphemias, et divini nominis execrationes; idque tam perditæ, ut Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantoperè blasphemetur. Demum pro humilitate regnat passim superbia, fastus, elatio, atque hoc universum vitæ genus ab illis Evangelicum dicitur institutum». Hæc ille, de quo sane illud Apostoli usurpare tuto possumus, *testimonium hoc verum est*. Sed accedat etiam testis tertius Erasmus Rotero-

damus, qui res eorum optime noverat, et ab ipsis maximi fieri solet. Is in epistola ad Vulturium Neocomum: «Circumspice, inquit, populum istum Evangelicum, et observa, num minus illic indulgeatur luxui, libidini, et pecuniæ, quam faciant ii, quos detestamini? Profer mihi quem istud Evangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores». Hæc Erasmus, qui non carmina fabulosa, sed narrationem seriam et verissimam in ea epistola de moribus pseudoevangelicorum, de quorum numero adversarius noster se esse gloriatur, instituit.

CAPUT XXIV.

Responsio ad ea, quæ adversarius in Satyris suis Pontifici Maximo petulanter objectit.

Restat pars ultima anonymi libelli, quæ Satyras quinquaginta et unam italicis rithmis comprehendit. Eas ego diligenter excutiens, reperi partem earum maximam consumi tum in repetitione eorum, quæ supra ex Dante, et Petrarca dicta fuerant; tum in congerendis in Pontificem Maximum conviciis, et maledictis. Vix autem succum aliquem argumentorum aut certe sententiarum quæ aliquam argumenti speciem præ se ferrent, iterum, atque iterum premendo exprimere potui. Quicquid autem illud sit, quam brevissime refutabo, licet alioqui carmen tam impolitum et sordidum contemni sine ulla auctoris injuria potuisset.

Satyra prima et quarta, et aliis nonnullis, Christum caput Ecclesiæ esse dicit, atque inde efficit, summum Pontificem caput Ecclesiæ esse non posse, nisi monstrum aliquod biceps Christi Ecclesiam faciamus. Sed hoc argumentum tam sæpe jam est a Catholicis refutatum, ut mirum sit, cur non pudeat adversarios tam putidæ repetitionis. Christum igitur caput esse Ecclesiæ universæ libentissime confitemur, neque ullum hominem, ac ne Angelum quidem illi æquamus; quod esset proprie duo capita in Ecclesiæ corpore constituere. At, quin sub Christo summo capite Vicarius ejus in terris caput, ut sic dicam, ministeriale non principale recte nominetur, negari nullo modo potest. Siquidem, ut in Republica temporali caput omnium principale rex est, sub rege deinde capita

sunt provinciarum ii, qui dicuntur proreges, et sub proregibus capita sunt urbium singularum certi quidam prætores, et sub prætoribus quælibet familia suam habet caput, ipsum videlicet patrem familias: et in exercitu caput est omnium militum imperator, sub imperatore legati capita sunt legionum, sub legatis tribuni, sub tribunis centuriones, sub illis decani suo quodam modo capita dicuntur, et sunt; nec tamen aut regnum, aut exercitum ob tot capitum multitudinem monstrum videri ullus unquam scripsit: ita quoque in Ecclesia Dei summum caput omnium hominum et Angelorum Christus est. Sub Christo in terris caput omnium Christianorum est Pontifex Maximus, sub illo episcopi, sub episcopis parochi capita sunt christianæ multitudinis. Et quamvis plurima veterum Patrum testimonia huc adferri possent, duo tamen, unus Græcus, alter Latinus hoc loco sufficient. S. Joannes Chrysostom. homil. 55. in Matth: «Deus», inquit, «concedere solus potest, ut Ecclesia tot, tantisque fluctibus irruentibus immobilis maneat, cujus pastor, et caput homo piscator, atque ignobilis». S. Hieronymus lib. 1. in Jovianum: «Inter duodecim», inquit, «unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio».

Satyra 3. Pontifices arguit quod se Christi successores esse gloriantur, cum Christus non successores, sed ministros Apostolos fecerit. At hoc mendacium nisi forte licentia poetica, sive potius hæretica, excusari non potest. Siquidem Summi Pontifices, cum et ipsi se Vicarios Christi nominent, et ab aliis passim hoc nomine designentur, certe non successores, sed ministros Christi se faciunt. Nam successores morientibus, vicarii viventibus dantur: et successores pares sunt iis, quibus succedunt, vicarii vero multo inferiores, ac plane ministri habentur eorum, quorum vices interim gerunt. Sed noster poeta furore illo poetico in frænesim actus, quid inter Vicarium et successores discriminis esset, videre non potuit.

Satyra 6. Satis pulchre sibi demonstrare visus est, non esse hæreticos, qui Romanam veram Ecclesiam esse non credunt, quod in symbolo apostolico catholicam, id est, universalem Ecclesiam confiteamur; Romana autem particularis sit, nec sine detrimento cæterarum universalis appellari queat. Sed non mirum est si nesciat satyricus iste poeta, de quibus loquatur, neque de quibus affirmet, ut apostolus Paulus de similibus homi-

nibus loquitur I Timoth. 1. cum majorem operam in fabulis Bocacii, quam in Theologis legendis, et meditandis posuerit. Neque enim Ecclesiam Universalem Romanam dicimus, quod in sola Urbe Roma Christi Ecclesia sit; sed quod Ecclesia toto orbe diffusa, cum Romana, ut cum sua matre, magistra, radice, fonte consentiat: quodque, ut loquitur S. Cyprianus lib. de unit. Ecclesiæ, cæteræ a Romana divisæ, nihil sint aliud, nisi rami a radice divulsi, rivuli a fonte præcisi, radii a solari corpore separati. Ad hanc enim Ecclesiam, ut vetustissimus Irenæus scriptum reliquit lib. III. cap. 3. propter potentioris principalitatem oportet omnem convenire Ecclesiam: hoc est omnes qui sunt undique fideles. Itaque quicumque in symbolo unam Catholicam Ecclesiam confitentur, ii nec vere unam, nec vere Catholicam tenent, nisi radicem et matricem Catholicæ Ecclesiæ, quæ sola Romana est, ut eam Cyprianus vocat lib. IV. epist. 8. agnoscant.

Satyra 11. et 12. Audacter mentitur ab Apostolo Paulo Romanum Pontificem Antichristum esse nominatum. At nos in quatuordecim, quæ exstant Epistolis Paulinis, tale testimonium non habemus. Fingat ipse, si ita videtur, pro ea licentia quilibet audendi, quam pietoribus, atque poetis Horatius tribuit, Epistolam 15. Legimus quidem in Apostolo II Thessal. II. futurum aliquando hominem quemdam peccati, qui sese efferet super omne, quod dicitur Deus, at hunc Romanum Pontificem esse, non Apostolus Paulus, sed apostata Lutherus scriptum reliquit. Lutherum autem, et quotquot eum sequuntur hac in re esse mentitos, satis aperte initio demonstravimus. Tantum enim abest, ut Romanus Pontifex sese efferat super omne, quod dicitur Deus, ut se non solum Christi famulum, sed etiam servum servorum Dei libenter appellet.

Satyra 33. Hoc ipsum nomen servi servorum exagitat; miratur enim quo pacto ista cohæreant, ut, qui servus servorum dicitur, regibus etiam imperare velit. Sed (ut magis Poeta miretur) addo ego, non tantum posse fieri, ut servus servorum, regibus imperet, sed etiam ut imperando serviat, et imperet serviendo; neque enim omnes qui serviunt obedire eos necesse est. Serviunt siquidem alii obediendo, ut mancipia; alii jubendo, ut magistratus; magistratus enim

populo servit, si legitimus non tyranicus sit. Quare B. Paulus II Cor. IV. servum se Corinthiorum vocat; et I Cor. IV. iisdem Corinthiis ita minatur, ut dicat: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Et cum omnes præpositos Ecclesiarum servos esse, docuisset loco ante notato II Corinth. IV. ait tamen Hebr. XIII. ad filios Ecclesiarum: *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis* (1). Sic igitur Summus Pontifex servus omnium servorum Dei vere dicitur et est, quod omnibus Christianis, ut communis omnium Pastor, et Doctor, monendo, dirigendo, imperando, castigando et corrigendo, serviat. Nam etiam Christus, cujus ille Vicarius est, minister fuit circumcisionis, Apostolo teste; nec ministrari venerat, sed ministrare, et tamen docebat, imperabat, e templo negociantes ejiciebat, et se adorari, sibi que a populis supplicari patiebatur.

Satyra 20. Non posse dici Ecclesiæ fundamentum Apostolum Petrum ex eo colligit, quod B. Paulus ait I Corinth. III. non posse poni fundamentum aliud præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Sed loquitur Apostolus de primario Ecclesiæ fundamento, quod a nullo alio pendeat, quod etiam Ephes. II. summum angularem lapidem nominavit. Quod si post Christum non esset etiam Petrus Ecclesiæ fundamentum, cur eum, quæso, Dominus in Evangelio, Cepham, id est, petram appellaret? et de petra eadem dixisset: *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?* Neque enim Petri nomen a petra dicitur, ut adversarius credit, sed est ipsum petra vocabulum cum masculina terminatione, ut commodius aurius accideret. Dominus enim, qui hoc nomen Simoni imposuit, syriace Cepham dixit: Cephas autem syriace non petreum, vel petrinum, sed petram significat: ut etiam Græcum nomen πέτρος; idque etiam Patres omnes una voce confessi sunt. Origenes homil. 5. in Exod. «Vide, inquit, magno illi Ecclesiæ fundamento, et petrae solidissimæ, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quod dicatur a Domino: Modicæ fidei, quare dubitasti?» Tertullian. in lib. de præscript. adversus hæreticos: «Latuit, inquit, aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum?» S. Cyprianus in epist. ad Quirinum: «Petrum Dominus primum elegit, et super eum ædificavit Ecclesiam». S. Hila-

(1) I Cor IV, 21; Hebr. XIII, 17.